

## Libertas A

Quem delectat vera libertas, ab amore rerum mutabilium liber esse appetat et quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subiectus sit, plus eum diligendo quam semetipsum.

Augustinus de vera religione.

## Libertas B

Quidam religionem nostram quaque manifestissimis et paucissimis celebrationum sacramentis de misericordia voluit esse liberam servilibus premunt oneribus.

Augustinus libro ad inquisitores Ianuarii.

## Libertas C

Prima libertas voluntatis erat posse peccare, novissima erit multo magis non posse peccare. Prima immortalitas erat posse non mori, novissima erit multo magis non posse mori. Prima erat perseverantie potestas, bonum posse non deserere, novissima erit perseverantie felicitas, bonum non posse deserere.

Augustinus de correctione et gracia.

## Libertas D

Ille vero in qua vis condicione servicii liber est, qui amore non capitur, avaricie vinculis non tenetur, metu criminis non alligatur qui securus expectat presencia, quem non terrent futura.

Ambrosius de Ioseph.

## Libertas E

Cum nobis triplex posita sit libertas, a peccato, a miseria, a necessitate; hanc ultimo loco positam contulit nobis in condicione natura. In prima restauramur a gracia media reservatur nobis in patria, dicatur prima libertas nature, secunda graciae, tertia glorie. Prima habet multum honoris, secunda plurimum virtutis, novissima cumulum iocunditatis.

Bernardus de libero arbitrio.

## Libertas F

Liber est estimandus qui nulli turpitudini servit.

Tullius libro 2. rhetorice.

## Libertas G

Quid est libertas? Potestas vivendi ut velis. Quis igitur vivit ut vult nisi qui recta sequitur. Soli hoc contingit sapienti, ut nichil faciat invitus, nichil dolens, nichil coactus. Quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos. An ille michi liber est cui mulier imperat, cui leges imponit, prescribit, iubet, vetat. Quod videtur quod nichil imperanti negare potest, nichil recusare audet, poscit scilicet mulier, dandum est vocat veniendum eiicit, abeundum, minatur extimescendum; ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum etiam si in amplissima familia natus sit appellandum puto.

Seneca libro 10. rhetorice sue.

## Libertas H

Quid eques aut libertinus aut servus nomina ex ambitione aut iniuria nata subsilire in celum ex angulo licet.

Seneca 31. epistola.

## Libertas I

Quid sit libertas queris nulli rei servire nulli necessitati, nullis casibus fortuna in equum reducere.

Seneca 47. epistola.

## Libertas K

Liber non est quomodo superbus inflammat animus.

Seneca in proverbiiis.